

77

ead. Dif. I. Cap. 4. animadvertit, & ante eum Guther. (\*)  
de Jur. Pontif. lib. I. Cap. 6: alibi vero perpetuum fuisse  
idem Norisius laudato capite pluribus docet; Item Pontifica-  
tum, quum perpetuus saepenumero occurrat in vetustis Inscri-  
ptionibus, temporarium aliquando fuisse, & ad certum tempus  
Pontifices creatos ipse Norisius ead. Dif. Cap. 5. recte conicit.  
PETINI APRI MARITI EIVS. Hæc est germana lectio,  
quam pridem expressit Cluverius immerito a Fabretto repre-  
hensus. Redeat sane Petinius Priscus.

*Illuc, unde negant redire quemquam.*

OB MERITA EORVM Abejenzæ scilicet, & Petinii Apri.  
IMP . . . . . Abrasum est nomen Imperatoris, qui jus  
commune liberorum concessit. De more eradendi e publicis  
monumentis nomina eorum, quorum memoriam Senatus abo-  
lendam censuisset, sane satis constat. Cujus autem Principis  
nomen illud fuerit, difficile est statuere; multorum enim legi-  
mus memoriam a Senatu damnatam. Si tamen ex caracte-  
rum formâ certa satis erui posset conjectura, pertinere Inscri-  
ptionem ad Commodum existimarem, cujus nomen erasum fuis-  
se testatur Lampridius in f. ejus vitæ. Hanc porro senten-  
tiam ipsa erasarum literarum vestigia confirmant, quæ sedulo  
examine mecum nuper perpendit amicissimus Vir, omnigenâque  
eruditione clarissimus Sebastianus Pauli Lucensis.

IUS COMMUNE LIBERORVM CONCESSIT. Quid fue-  
rit Jus hoc Commune liberorum ab Imperatore concessum, ac-  
curate & dilucide explicare, arduum quidem adeo, & difficile  
est, ut hoc unum quærendum mihi esse visum sit, quid nem-  
pe de eo Viri doctissimi, clarissimique senserint. Primus  
omnium Marcus Vertranus Maurus J. C. de illo disseruit in  
libro singulari *de Jure Liberorum* integro Capite XLVI; cujus  
præcipuas partes, quibus eruditissimi Viri sententia continetur,  
hic describimus. Ait itaque. *Sane a Principibus solitarii, &  
orbi conjuges Jus liberorum exoraverunt aut Commune, id est  
numero filiorum addito nullo, & sine distinctione liberorum duo-  
rum, aut plurium, aut Speciale & nominatim expressum libero-  
rum trium, de quo . . . . . Illud simpliciter, & indefinite postu-  
latum, & exoratum sic appello vetus monumentum sequutus, cu-  
jus*

(\*) Lapsus hercle est, & turpiter lapsus Jac. Guerberus citato cap. 6. dum Pontifices, seu  
Flamines perpetuos dictos putat, quod illorum ministerium publice semper usui esset; quasi  
vero perpetua dici non possit dignitas, quæ non ad eorum temporis spatium, sed in perpetuum  
collata sit, licet amitti, vel repudiari possit.